

quidem ad Græcum Romane editionis accedens, sed & in pluribus discrepans. Interdum propius ad nostram Vulgatam accedens à Græco recedit. Exemplar illud nomine Veteris Latine Versionis sive Italice, seu Veteris Vulgate laudatur. Veteres Patres solent plerumque testimonia à Græco laudare, quanquam non sine variantibus. Ita Origenes refert ex Judith:

h Origen. hom. 19. in Jerem.

Prævaricationem invocabo, & invocabit prævaricationem (b). quæ verba nec in Vulgata, nec in Græco leguntur. S. Fulgentius Ep. 2. ad Gallam refert genealogiam Manassis viri Judith, cujus ne verbum quidem in Scriptura. Sunt etiam Eruditi quidam, qui dubitent, an Latinus Textus ipsa sit S. Hieronymi Versio, cum phrasibus quibusdam redundet, quæ Versionem potius ex Græco, quam à Chaldaeo adornatam subolent. Ita quæ leguntur cap. 9. 13. Percute eum labris charitatis meæ, mendum aliquod insinuare videntur ex corrupta Græci lectione, cum Interpres Agapes legerit pro Apates, uti hodie usque in Exemplaribus Græcis, & in Syriaco olim lectum est. Ita pariter Judith 10. 3. legimus: Unxit se myro (sive, ut in veteribus Exemplaribus, myrto) optimo, expressum est ex Græco myron, unguentum. In eodem etiam versiculo est mitra Græca vox.

i Orig. ad Afric.

Origenis ætate Hebraicum Exemplar apud Judæos ferebatur [i]; sed Hebræum hic pro Chaldaico, quod sequiori ætate cum Hebræo confusum est, facile usurpatur. Si enim Hebraicum Originale, vel saltem optimum Exemplar ætate Sancti Hieronymi superfuisset, nec vir ille doctus ignorasset, nec neglexisset. Cum igitur à Chaldaeo Versionem suam adornare coactus esset, nullum planè exitisse Judæorum linguâ scriptum dicamus oportet. Sebastianus Munsterus Præfat. in Tob. Hebr. ne dubitare quidem se dicit, Judæos Constantinopolitanos, qui nostrâ ætate Hebraicum Libri Exemplar servant, Opus illud typis vulgasse, sed falli virum credimus, cum nullum unquam Hebræicè scriptum publicam lucem aspexerit. Quare nullum de illo iudicium ferre possimus, an scilicet ad Vulgatam, an ad Græcum accedat.

k Euf. Chron. 1 Histor. Schol. Dion. Carthus. m Suidas verbo Holofernes.

Tempus historię Judith res est omnium operosissima, undè potissimum cætera pendunt, quæ de opere illo ambiguntur. Semel enim ac rei gestæ epocha statuatur, cur suspensionem aliquam in veritatem ejus Libri creare adversarii laborent, nihil est. Recepta olim Eusebii ætate Hebræorum traditio tenebat, Nabuchodonosorem II. ipsum fuisse Cambysem (k), quo rerum potente Judith historia contigerit. In eandem sententiam plures abierunt (l), uti legere est apud Suidam (m), Bedam Venerabilem, Rabanum Maurum, Othonem Frisingensem, Hugonem Cardinalem, Lyrannum, Magistrum historię Scholasticæ, aliosque. S. Augustinus de Civit. lib. 18. cap. 26. nomen Principis silet, sed historiam constituit inter Cyrum, & Darium, quos inter unus Cambyfes regnavit. Sed huic opinioni plura refragantur. 1. Metropolis Regni sub Cambyse non Ninive, sed Ba-

bylon constituta erat. 2. Cambyfes 7. annis ac tribus mensibus regnavit (n), cum interim Nabuchodonosor anno 13. Regni sui expeditionem in Arphaxadam suscepisse legatur. 3. Omnia tandem loca, quæ Holofernes ditioni Regis subiecit, omnia, inquam, Cambyfi in exordio Regni patebant, & nunquam jugum excusserunt, ne Judæa quidem excepta.

Malunt alii historiam Judith cum Regno Xerxis componere, cujus opinionis assertores laudantur Julius Africanus apud Suidam v. Judith, Tornielius ad A. M. 3572. Ribera in Nahum 2. P. Alexander hist. V. T. Dissert. 6. alique nonnulli. Addunt illi Xersem, post infelicem in Græciam expeditionem, in contemptum tam hostium, quam gentium suorum venisse; quare Nabuchodonosor, tum urbis Ninive Præfectus, suis ad defectionem sollicitatis, bellum in Arphaxad Regem Medorum intulisse, cujus victoriâ tumens de subigendo sibi terrarum orbe consilium agitare narratur. Sed hæc fabella de Imperio Nabuchodonosoris in Ninive ad arbitrium procusa est; neque enim Tornielius verbo rem asserens fidem extorquet. Legimus quidem apud Justinum (o), afflictis Persidis rebus sub Xerxe Artabanum occasionem natum Imperii occupandi consilium agitare; sed vir ille Regnum Medorum seu Ninives administrasse, nusquam apud eundem Justinum legitur. Cum de rebus historicis agitur, nulla habenda est illarum ratio, cæteris omnibus in speciem licet verosimilibus; cum ille, de quo potissimum agendum est, sive nusquam in rerum natura extitisse, vel saltem num extiterit, ambigendi locus esse demonstratur; quemadmodum in præsentia de Nabuchodonosore accidit.

Estius in Judith 1. alique nonnulli historiam illam rejiciunt ad Darium filium Hytastis, cujus edicto Templum reparare Hebræi permisi sunt; sterisse enim Templum sub Judith vix ambigimus. Serius etiam, nempe ad Regnum Artaxerxis Ochi, amandat Sulpicius Severus hist. Sac. lib. 2. ex eo potissimum ductus, quod Ochus Princeps esset violentus, & Eunuchus ille, qui Regem interemit, Bagoas appellaretur. Porro Rex ille bellum amavit, expeditionemque in Egyptum suscepit, occupavit Jericho, & Judæos magno numero captivos adduxit (p). Sed non omnia ejus Principis in rem præsentem quadrant: nomen Bagoæ æquè omnibus Eunuchis commune est; ille verò, de quo apud Judith, Holoferni non Nabuchodonosori serviebat. Ad hæc, Regnum Darii filii Hytastis, sive Ochi cum Nabuchodonosoris gestis componi vix potest. Hi enim neque Ninive regnabant, neque in Assyrios, nullamque in Reges Medorum expeditionem suscepisse leguntur. Quis audivit unquam Reges illos Cappadociam, Ciliciam, Syriam, Arabiam, Mesopotamiam, Phœniciam ditioni sue adjecisse; cum potius omnes illas regiones hereditario jure à decessoribus suis acceptas tenerent?

Recepta magis, quæque nostrâ ætate apud optimos Chronologos invaluit, sententia.

n Herodot. 1. 3. cap. 66.

o Justin. lib. 3. Xerxes Rex Persarum, terror antea gentium, bello in Græcia infeliciter gesto, etiam suis contemptui esse cepit. Quippe Artabanus Præfectus ejus in spem Regni adductus est.

p Solin. cap. 35. Syncell. ex Sul. Afric. Oros. lib. 31. cap. 7.

q Saitan. ad A. M. 3335. Genebrar. Usher. Vide Serar. in Judith 2. q. 2. 3.

tentia [q] tenet, historiam hanc cum tempore ante captivitatem componendam; quamquam nec satis inter ejus assertores conveniat. Aliis enim statuitur sub Manasse, aliis sub Sedecia, cujus postrema opinionis patronus Genebrardus missum credit in Judæam Holofernem à Nabuchodonosore regni sui anno 13. cum interim ipse Rex sexennio post exercitu in Jerusalem ducto, Urbe captâ Templum evertit. Sed plura in eâ sententiâ reprehendenda. Quomodo in eâ hypothesi longa pacis per plures annos quies explicaretur, quam pacem à victoriâ Judith partam usque ad ejus vitæ exitum, & diu etiam post mansisse legimus Judith 16. 30. Quicumque sub Manasse constituit, illi inter se committuntur; sunt (r) enim, qui tempori captivitatis ejus Principis in Babylonia assignent, quibus suffragari Scriptura in eo videtur, quod nullum in Juda Regem nominet, & alterum rebus gerendis præfuisse neminem significet, nisi unum Summum Sacerdotem Eliacim sive Joacim (s), cujus nutu omnia gerebantur, nec alter totius gentis nomine gratias Judith acturus venit. Revocatum jam è captivitate eundem Regem alii malunt, quem tamen nullis se Reipublicæ negotiis immiscuisse eâ occasione dicunt, tum quod palam cum Regibus Assyriæ se committere alienum rebus suis crederet, tum quod totum se pœnitudini, atque implorandæ de criminibus suis veniæ addidisset. Hæc posterior sententia, quam melioribus solum rationibus credimus, cæteris omnibus à nobis præferenda.

r Vide Melch. Can. Bellar. Quet.

s Judith. 4. 5. 6. 7. & 2. 5. 9. 10.

In tanta opinionum diversitate negotium etiam facit non leve, quis potissimum Summus Sacerdos tunc sacris præfesset, qua de re in Dissertatione de successione Summorum Sacerdotum apud Judæos. Duo etiam nec levioris momenti pro evertenda totius Libri autoritate opponuntur (t). 1. Librum esse apocryphum cujus nulla in controversiis de Religione autoritas. 2. Non historiam veram continere, sed fabellam sive parabolam elegantem, scitam, sed veritate vacuum, ut proinde frustra sit, quicumque totam illam cum historia generali sive particulari Judæorum, vel Assyriorum componere laboraverit. Nunquam Author, inveniunt illi, sive temporum ordini, sive Geographiæ, vel Chronologiæ serviendum sibi sumpsit, eo solo contentus, si characterem eorum quos in scenam adducebat, quàm egregiè servaret. Fabella est, ait Grotius Præfat. Comment. in Lib. Judith, sub persecutione Antiochi Epiphanis ante violatam ab eodem Principe, Idolo constituto, Templi Religionem procusa. Ejus scribendæ consilium fuit, ut Judæi prompti auxilii sperigerentur. Judith sonat Judæa (u); Bethulia, Templum sive Domus Dei (x); gladius Bethulia egrediens ipse sunt sanctorum preces; Nabuchodonosor est Diabolus; Assyria, fastus sive audacia. Antiochus Epiphanes Diaboli favientis minister erat, quem proinde Scriptor nomine Holofernis obscura quadam ambe designavit; red-

t Anabaptista. Luther, Vitaker. Chytreus, Beroald. Reineccius &c.

u Judæa Jebudith. x Beth el jab. Domus Domini Dei.

di enim potest nomen illud listor, satelles serpentis (y). Summus Sacerdos Eliacim sive Joacim (z) sonat Dominus exurget, suscitabit (nempe auxiliatorem). Judith in eâ historia vidua elegans & spectatæ virtutis depingitur, ut veluti facie agnosceretur Judæa sub Antiochi persecutione. Gloriatur Judith nunquam se prævaricationem Patrum suorum imitatum externis Numinibus prophanâ manu litasse (*).

Hæc ingeniosè quidem dicta nihil præter ingenium viri docti demonstrant; quamvis enim acutè, quamvis feliciter excogitata sint, nunquam tamen fidem extorserint, nisi ejusdem opinionis solida argumenta afferantur. Tam bellum enim Grotii ædificium totum uno hoc verbulo, nego, evertitur; si enim semel ejus methodus admittatur, continuè historia Patriarchæ Joseph, Moyfis, Davidis, & Salomonis æquè parabolis deputarentur. Nunquam ad allusiones detorquendi omnia occasio deesset, semel ac quis mysterium aliquod, sive figuram in historia quærere animo destinavit. Ista, quas laudavimus, historię nec minori arte, nec minori rerum connexionem, quàm narratio Judith referuntur. Vel igitur omnes ad fabellas amandandæ sunt, vel omnes probandæ. Demonstrantur in historia Judith, si qua sunt, veris Judæorum historiis totius Orbis consensu probatis repugnantia, statimque nos fabellam clamabimus. Id verò nunquam ab obtrectatoribus ejusdem Libri factum est, quanquam nec segnitè laborarunt, si quid reperiri posset, quod suo intentui serviret.

In ipso Operis vestibulo ipsum se prodere Authorem ejusdem obtrectatores contendunt; quippe qui de Nabuchodonosore Rege Assyriorum agat, cujus nominis nemo in Ninive, sed in Babylonia tantum regnasse legitur. Meminit etiam Arphaxad Ecbanorum conditoris, quam Urbem fundasse Dejozem in Herodoto 1. 1. c. 8. 9. legimus. Addit, Arphaxadam bello victum à Nabuchodonosore gladio victoris interiisse, cum alioqui Dejoces plenus annorum, & gloriæ diem clausisset. Varia illa loca, quæ præliis Nabuchodonosoris cum Arphaxad celebrantur, nec aptè assignata sunt, nec verè; sunt enim sive ignota, sive inter se immodicè distantia. In adscriptionibus etiam annorum menda plurima; quo enim loco Latinus habet anno 13. Nabuchodonosoris, Græcus ponit 17. [a]. Post deductos ab Authore in scenam duos illos Principes, qui ante captivitatem regnarunt, eam personam agentem Judith, Summum Sacerdotem & Achorem ipsum inducit, quasi post solutam captivitatem, & restitutum Templum viverent (b). De Regibus Judæa, atque Præfectis eorum militaribus ne verbum quidem apud illum; omnia ad nutum Summi Sacerdotis, ejusque Sanhedrii aguntur. Porro Senatus ille, vel Sanhedrin recens inventum est, nec Machabæis antiquius. Quod autem majoris est momenti, vixque ferendum, ita agentem personam suam Holofernem inducit, ut

y Halpber Nachab. listor serpentis, seu Diaboli. z Ejbakim. sive Joacim. Dominus exurget, suscitabit, supple. * Judith 8. 18.

a Vide Græc. cap. 1. 1. ... 12. & 2. 1.

b Vide cap. 4. 2. 22. & 5. 22. 23.

mores omnes Perfarum imitaretur, cum hujus, quicumque fuerit, Nabuchonodorus atate ne nomen quidem Perfarum notum esset. Hæc planè ad sensum repugnant nullaque vi coherent; nec minus incongrua in Chronologia affert. Imperium Assyriorum ante captivitatem cum Imperio Regum Juda; & hæc duo cum administratione Summorum Sacerdotum, post solutam captivitatem simul miscentur.

In Geographia lapsus plures. Bethulia constituitur non longè à Baalmeon, & Bethmasta, ac Dothaim, nec non à valle Eldrelon, & torrente Cisson; quod nunquam potest, si eadem Urbs in Tribu Simeon, & viæ à Judæa in Ægyptum imminens statuatur. Si Authori fides, solo trium mensium spatio Holofernes tam vastum regionis spatium occupavit, quantum nemo unquam non minus valido instructus exercitu vix percurreret. Post tot emensas victorias suis regiones, post felicem per tot itineris spatia armorum cursum, victorem exercitum minima quædam Urbs memorata est, cui obsidenda integro mense, & etiam altero & ultra, juxta Græcum, iners, & ne aggressionem quidem tentatâ, sed tantum occupatis fontibus, substituit. Addit idem Author, Holofernem disruptis aqueductibus aquam in Urbem prohibuisse, quasi scilicet ex inferiori in superiorem locum per aqueductus, & canales aqua deduceretur. Dum quietus in obsidione Bethulæ Holofernes morabatur, Summus Sacerdos Judæorum omnem in se belli molem suscipit, omnia per totam regionem disponit. In Genealogia Judith turbata omnia (e); gemini Textus inter se nunquam non discrepant. E Simeone, & Ruben Judith contra historia fidem deducitur. Sepulchrum Manassis viri Judith inter Baalmeon, & Dothaim situm legitur, cum Vulgata etiam atque iterum sepultura Bethulæ mandatum habeat (d). Repugnantia virtuti ejus verba, & facta Judith tribuuntur; non semel enim mendax est (e); & feminam agit afflicta frontis, quæ Holoferni teneriores amores inhiat, atque minus casta cogitantem, molientemque non castè fovet. Historia deductæ Judith in tentorium Holofernis implicata est (f). In Græco ipse Dux è tentorio egreditur, simulque femina ingreditur. Tandem frequentissimæ aded variantes inter Græcum, & Latinum (g) resultant, ut suspicionem maximam, sin minus in Librum, saltem in fidem Interpretum creent. Si enim uterque, tam Latinus nempe quam Græcus, unum idemque Originale sub oculis habebant, alterutrius fidem in discrimen venire oportet; si verò utriusque diversa suppetebant, quomodo una & eadem historia aliter & aliter descripta est?

e Vide Judith. 8.2.

d Ibid. ver. 3.

e Vide capp. 9. & 11.

f cap. 10. 17. 19.

g Confer capp. 8. & 9. & 13. & 14.

His potissimum cavillis veritatem historiae Judith impetunt adversarii; sed Authores Catholicos non movent. Nec unus aut alter ejus Libri autoritatem vindicandam suscepit turbata est, quæ nihil in illo sive Scriptura sive historiae repugnare aggressa est demonstrandum. Eandem spar-

tam, nec infeliciter, adornarunt Sixtus Senensis Bib. Sacr. lib. 8. Bellarminus de Verbo Dei l. 1. cap. 12. (b) Huetius Episcopus Abrincensis Demonst. prop. 4. & omnium postremus D. Montfaucon in Opere de hoc argumento. Nos etiam plerumque ex his objectionibus in Commentario solvimus, quas illic fusiùs deducas nos hic in compendium afferemus. Nomen Nabuchodonosori Regi Ninive attributum mendum est, si historiae rigor attendatur; sed stili, & consuetudo Judæorum tale aliquid patitur; solebant enim post captivitatem eo nomine appellare omnes, qui in Transsephrathæa regnabant; quod aded verum est, ut in Tobia eodem appelleretur Nabopolassar, sicut & Assueri nomine Ahyages nuncupatus est (i). Esdras etiam, cujus Libri veritas omnibus asserta est, Darii Hystaspis Regem Assur denominat, (k) quanquam alioqui Assyriorum Regnum tum temporis Perfarum Monarchiæ accederet. Tandem nomen Assueri Artaxerxi collatum apud Esther etiam legitur. Quid? Nonne in Veteri Testamento Reges Ægypti Pharaonis nomine ubique designantur? Erit igitur supra fidem, si nomen Saosduchin in Libro Judith substitutum sit nomen Nabuchodonosoris; cum maxime eâ atate viveret hujus Libri Scriptor, quo nominis magni Nabuchodonosoris gloria cæterorum nomina offuscaverat? Quod sequimur systema historicum, fide optimorum Scriptorum fulcitur. Regnum Assaradonis Babylone, quod Manassem duxerat captivam, optime componi potest cum Nabuchodonosoris Ninive; utrinque enim Reges illos imperasse eâ atate constat. Si quæ vero sive in adscriptionibus temporum, sive locorum minus congrua, id unice tribuendum est, quod plurimum annorum spatium continuatum bellum plura habuit & pluribus in locis commissa prælia, ex quibus locorum varietas resultat.

Ad captivitates, & dispersiones Judææ quod spectat, plures distinguere oportet captivitates particulares, & brevioris temporis, longè ab aliis captivitatibus diuturnioribus & majoribus diversas. In mentem etiam revocandum est, Græcam Versionem circumstantis nonnullis, nominibus Urbium & hominum, ac adscriptionibus temporum redundare, quæ neque in Vulgata, nec facile in Originali legantur. Hæc omnia sive incuriâ Amanuensium sive audaciâ correctorum in Textum irrependia improbum defendendi laborem non suscipimus (l). Menda sunt: quod dictum iis volumus, qui in nominibus locorum corrupta, sive confusa omnia clamant; sicut etiam iis, qui paria reprehendunt in Genealogia Judith, in sepulchro Manassis aliisque hujus generis. Ex collatione Originalis Chaldaei, si nostrâ atate superesset, de sinceritate utriusque Versionis judicium ferre possemus. Cum verò jam inde intercederit, historiam omnibus veritatis characteribus distinctam ex mendo aliquo, sive corrupto Textus sensu, quod incuriâ Amanuensium tribui jure meritoque potuerit, nemo præjudicis

h Vide & Serar. Proleg. in Judith.

i Tob. ult. ver. 16. & seq. in Græco. k 1. Esd. 6. 22.

l Bellar. l. 1. c. 12. de Verbo Dei. Serar. in Judith 8. 9. 20.

eiis vacuus rejecerit. Quot enim alioqui Authores veteres Græci, & Latini hodie in situ & squallore relinquerentur, nisi viri aliqui periti repurgandos illos è barbarie, & mendis, quibus incuriâ & temeritate Amanuensium redundabant, suscepissent? Simile aliquid non inani labore tentaretur, si Versionem Græcarum copia superaret. Syriaca Versio pluribus in locis Græcis nostris Editionibus correctior est, quod ejus Author vetustius, & correctius Exemplar sub oculis haberet, quo documento quid nobis sperandum esset intelligimus, si Optimorum Exemplarium copiâ instrueremur. Quid si etiam Originale superesset? Uno oculi ictu omnia depellerentur, quæ ab adversariis ex varietate nominum, & adscriptionum annorum in apertam ejus Libri lucem affusa sunt.

At enim Holofernes non unum ex Perfarum moribus imitatus est. Esto. Sed hæc Perfarum consuetudo æquè apud Assyriæ Reges obtinebat. Græci, quorum tantum relatione aliqua de moribus Orientalium scimus, non nisi post Regnum Perfarum ad scribendum sese conferentes, non nisi de Persis exacti aliquid sive peculiaritatis egerunt. Aliorum Imperia solo nomine norant. Numquid propterea, quæ Perfarum consuetudo fuisse scribitur, hæc aliis communis fuisse non poterat? Supra fidem arbitrantur celerem victoriarum Holofernis cursum, quo tot terrarum spatia emensus est: sed quicumque talia mirantur, illis animadvertendum, nihil victorem exercitum retardasse, nisi unam Bethuliam. Plus sibi negotii in Ægypto futurum credebant; quare in Palæstina immorandum aliquantulo consueverunt, tum ut copias usque majores scriberent, tum ut festum exercitum curarent. Hæc Imperatori suadebant, ut in obsidione Bethulæ segnior immoretur, veritas ne exercitum fatigaret, cum maxime res habenda esset inter anfractus viarum, & cum adversariis obstinatissimis, qui prælium in montanis instituentibus, facile poterant exercitum non levi incommodo afficere. Quod ad Judith spectat, quamquam ejus feminae agendi rationem plures doctissimi Interpretes defendendam non aspernandis rationibus susceperint, eorum tamen consilium nobis in præsentia probandum esse non duximus. Quo enim tenemur, veritatis amor ultro fateri nos cogit, in consilio hujus feminae aliquid esse reprehendendum, quippe cui & mendacium fuisset vitandum, minusque se Holoferni amoribus indulgentiorem præbere opus fuisset. Sed ea, quæ se ad facinus disposuit, cordis habitudo, prodigium illud, quo Deus femine consilium adiuvit, & prosper rei eventus satis demonstrant, hanc sibi mentem à Deo inditam fuisse, totamque rei gerendæ rationem eodem docente didicisse. Cujus tamen sententiæ vades nos præstare nolumus.

Quando verò plures in eo Libro difficultates coacti agnosceremus (cum revera nullæ occurrant) quibus vix ac ne vix quidem satis fieret; quid inde contra illius veritatem & autoritatem? Semper nobis Dissert. Calmet. Tom. I.

id pateret, ut totam ejus rei invidiam in Exemplarium corruptionem, quæ alioqui manifestissime apparet, refunderemus. Quis, rogo, liber sive prophanus sive sacer ab his difficultatibus, non aliunde derivatis quam ex ea, in qua versamur, Veteris historiae omnium gentium ignorantia, immunis? Si Annales Regum Juda, & Israel sepius in Scriptura laudati suppetere, quantum ex illis lucis ignorantia nostræ affulgeret? Si Veteres Commentarii gentis Judaicæ, quibus gestorum omnium majoris momenti apud illos memoria ad posteros transmittatur, non intercidissent; quot agitate modò controversiæ sopirentur, quot depellerentur obscura? Patria philosophemur oportet de veteribus historiis Chaldaeorum, Perfarum, Assyriorum, Medorum, & Ægyptiorum, quibus omnibus gentibus nihil antiquius fuisse, quam ut historias suas servarent, ex Scriptura intelligimus (m). Jure ne reprobationis sententia feratur in ea, quæ præca omnis ætas veluti authentica ad nos transmissit; quæ Judæi, apud quos res gesta est, vera arbitrantur; quæ apertissimos veritatis characteres exhibent; uti e. g. cum familiam Achior adhuc ætate Authoris inter Judæos distinctam narrat; cum de festo in memoriam victoriae Judith instituto agunt; cum nomina locorum, & personarum exactè expriment; cum adscriptiones ipsas temporum, & rerum circumstantias, ac tandem epinicium victoriae Judith non omitunt?

Quando verò ea protulissent rationum monumenta adversarii, quibus cogemur totam hanc historiam ad parabolam, sive ad fabellam, solandis afflicti Judæis profusam, & ad exhibendam in Judith minime fucata virtutis ideam desistere; quid proinde illis ad infirmendam ejusdem Operis autoritatem? An propterea in eo scribendo Opere Author Divini Spiritus afflatu destitueretur? An Patres, qui ex eo testimonia laudantur, Concilia quæ in Canonem Scripturarum cooptarunt, Ecclesia quæ Opus probavit, sive in errore versari, sive in discrimen Religionem adduxisse crederentur? Novum Testamentum redundat parabolis; redundat & Vetus, eâ diligentia & accurate scriptis, ut possent pro veteris historiis haberi. Non desuerunt etiam viri docti, qui in parabolis Jesu Christi historicum aliquid suspicari sunt; quamquam alioqui plus esse quam parabolam, nullo argumento persuademur. Cum Nathan Davidem alloquens parabolam inducit divitis ovem pauperis rapientis, ut convivium supervenienti amico instrueret (n); cum femina Thecutis eundem Regem detinuit, parabolam narrans duorum filiorum, quorum alter ab altero vulneribus affectus occisus est, superflitem verò Judices ad necem quarerent (o); cum Jesus Christus parabolam prosequitur Lazari & Divitis improbi (p); cum hominis itinere è Jerusalem Jericho in latrones incidentis (q); cum inquam, hæc omnia, quis ad parabolam deslexerit, an propterea ille minus rectè de Religione sensisse cre-

m 1. Esdr. 4. 19. 20. Elsher 2. 23.

n 2. Reg. 12. 3. 2. &c.

o 2. Reg. 14. 6.

p Luc. 16. 20. &c. q Luc. 10. 30. &c.